

Pierij Val. Canis.

bamus, sursum versus incuruata: quod quidem in hostiis crematis obseruatum D ex aruspicum disciplina futuræ victoriæ portentum erat. Sedenim in numo eo currentem canē, celeritatem significare coniicimus ex iaculo, quod est infernè situm: vnde rem properanter confectam, victoriāmue citò partam, si sequamur Aruspices, id indicabit.

I M P V R V S A M A T O R .

Sunt etiā qui satis impuros amatores exprimāt per simulachrū canis, non ea tantum de causa, quōd κύων, vt Eustathius interpretatur, ῥάπα τὸς κύων, quod amare est, deducatur, sed quōd lepores audiōri quodā affectu cōflectetur: quorum significatum inter nequitas improbores reposuimus. Neq; quidem Ouidius signate magis Apollinis affectum incomparabilem exprimere potuisset, quād luculentissima ea quam ponit comparatione, his versibus decantata:

*Vt canis in vacuo leporem cū Gallicus aruo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem:
Alter in hæsiro simili iamiamque tenere
Sperat, & extenso stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit comprehensus, & ipsi
Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.
Sic deus & virgo est, hic spe celer, illa timore:
Qui tamen insequitur pennis adiutus Amoris
Ocyor est, requiemque negat.*

E

L I E N I S V I T I A ,

Hominem qui aliquo splenis vitio affectus ægrè habeat, quæq; in vniuersum ad lienem attinent, Aegyptij sacerdotes per canis hieroglyphicū significabant. Gracillimum enim ac tenuissimum lienē canis habet: quōd si vel mors, vel rabies eum inuaserit, à splene est: quin etiam illi ipsi qui correptum rabiē canem medicare voluerint, morbum contrahunt, ac splenetica plurimū eā labē affecti pereunt: & qui canem eo morbo laborantem dissūcuerit, ea afflatus exhalatione: contagionis vini efficacissimā experitur. Vrina quoque rabiosi canis quomodocunque calcata nocet, maximē vlcus aliquod habentibus. Quin huius lotio, etiā non rabidi: tam perniciosa vis est, vt si quis in id suum congeserit, ad generationē pigrior torpore lumborum fieri dicatur. Proinde rabido cani contagiosum adeo virus inest, vt omnia rabiant, quæ momorderit: excepto homine, Nā quæ illi accidit ex huiusmodi contagie lues, mania est, vt crudelissimi hac ætate viri disputant: nam & Festo rabies propriè morbus caninus est. Quod verò scribit Aristoteles, canes ipsos interire morbo hoc, & quæ morfa sunt πλὴν ἀνθρώπων, nonnulli clari quidem viri πρῶτοι legunt, vt celerius, quā homo intereant, exponant. Sed enim vt ea missa faciam, quæ hominibus à rabioso cane morsis accidisse longo post tempore Albertus & Auicenna prodidere, legi apud Plutarchum, rabiem in homine non fuisse cognitam discretamue ab aliis morbis Aristotelis tempestate, neq; inde vsq; ad Asclepiadem cuiquam innotuisse. Cæterū hæc ipsi viderint clarissimi viri, qui rem enucleandam suscepere. Illud ego super hoc addam, vniuersiusq; canis morbum tam perniciosum esse, vt ferant, eum qui semel fuerit à cane læsus, pestilenti contagione gallinarum incubitus, pecorum foetus, & abortus interuentu suo vitiare, eiusque introitu alterius vulnera aggrauari.

F

Olfactus